45.

A, S

DISSERTA

De

POTU SU

ET PUNIE

PATIENTI

PRODR

IN ACADEMIA

P. I

PRÆS

M. HENRIC

Lipsie

&

RESPON

IMMANUEL

Laubling

Ad d. XXIV. Martii, An

IN COLLEGIO PRI

TYPIS CHRIST

- 43 -

A. Ω.

RTATIONEM

De

SUPPLICII

NIENDIS ET

TI CHRISTO

ODROMO

EMIA LIPSIENSI

P. P.

RÆSES

ICUS Wipping/

Lipsiensis,

&

ESPONDENS

UEL Vögel/ Beeso-

aublingâ-Saxo.

rtii, Anni cIↃ IↃc LXXXVIII.

GIO PRINCIPUM MAJORI.

CHRISTIANI GOEZI.

VIRO
Præ-Nobilissimo, Amplissimo atq;
Excellentissimo

DN. HENRICO BORNIO,


JCto famigeratissimo,
Curiæ Supremæ Provincialis & Scabinatûs
Lipsiensis Assessori Gravissimo, PRO-
CONSULI itidem Splendi-
dissimo,

DOMINO, Mæcenati, Patrono atqve Pro-
motori omni observantiâ ætatem devene-
rando,

Hasce qvales qvales pagellas
In sui suorumqve Studiorum commendationem
devotâ mente offert

Perpetuus Tanti Nominis Cultor

M. HENRICUS Pipping.



I. N. J.

Ἄνευ Προοιμίου.

SECTIO PRIMA,

De

POTU PUNIENDIS DARI SOLITO.

SUMMA.

§. 1. Occasio & methodus scribendi.
2. Homonymia evolvitur.
3. Genuinus Tituli sensus explicatur.
4. Potum illum præcipuè apud Hebræos datum fuisse ostenditur.
5. Qvibus & à qvibus
6. Qvo in loco & qvo tempore datus.
7. Qvalis fuerit.
8. Finis.
9. Occasio ad illius finis electionem suppeditata.
10. Thuris atqve myrrhæ vis.
11. Recentiorum circa eam monita.
12. Baronii de Myrrhâ disceptatio.
13. Nostra de hâc lite sententia.
14. Atheniensium similis consvetudo.
15. Hujus ab illâ discrepantia.
16. Conjectura de ejusdem ritûs apud Martyres qvondam observatione.
17. Nostrorum temporum cum priscis qvoad hunc morem congruentia.
18. Transitio ad secundam Sectionem.

§. I.

PRæsenti tempori ut inservirem, qvo acerbissimâ Domini Passione sacri Suggestus undiq; personant, ejusmodi potissimùm materiam brevi Dissertatione excutiendam mihi duxi, qvæ & cum devotâ illius contemplatione congrueret, & in Philosophorum insuper cathedris commodè posset ventilari. Oportunè itaqve satis offerebat sese *Potus*, qvem nostro Salvatori ante Ipsius crucifixionem fuisse exhibitum Viri affirmant Θεόπνευστοι. Ejus autem dum in me suscipio considerationem, ista prius perpendenda veniet consvetudo, qvâ apud Veteres capitali pœnâ afficiendis certū potûs genus olim porrigebatur. His enim, utpote generalioribus, in primâ hâc Sectione pensitatis, in alterâ deinceps, ubi ad potum Christo in specie propinatum nos conferemus, eò feliciores nobis progressus poterimus polliceri.

§. II.

Eqvidem dum *potum puniendis dari solitum* nominavimus, unicuiqve, ut opinor, facillimè constabit, hautqvaqvam nobis esse propositum, liqvores istos venenatos in medium proferre, qvibus violenta delinqventium mors unicè intendebatur. Neqve de iis solicitos in præsentiâ nos qvisqvam deprehendet, qvi ad homines excruciandos conducunt, qvales superiori tempore crudelissimi milites nostrâ lingvâ den Schwedischen Trunck appellabant, eosqve, stercoribus qvippe plus qvàm belluino modo mistos, infelicissimis harum etiam regionum incolis ingurgitare conabantur. (a)

(a) Qvoad nostram præcipuè Lipsiam confer Heidenreichii & Schneideri Chronic. Lipsiens. passim.

§. III.

Sed talem hoc loco potum innuimus, qvem Veteres iis, qvi ultimum jamjam expectabant supplicium, hauriendum apponebant, eos qvidem in fines, qvos paulò inferiùs sumus declaraturi.

§. IV.

In istam autem consvetudinem si aliqvantò curatiùs inqviramus, deprehendere licebit, eos Autores, qvi illius mentionem subinde injiciunt, communi ad unum omnes suffragio testari, qvod ea apud *Hebræos* potissimùm obtinuerit. Et sanè, qvò minùs hanc rem vocemus in dubium

bium

bium, obstant tot egregia Judæorum testimonia à Scriptoribus modò citandis allegata. *Jampridem* [verba affero *Isaaci Casauboni* (b)] *Paulus Fagius & alii Viri eruditissimi eum morem* (potûs videlicet puniendis apud Hebræos exhibitionem) *è libris Talmudicis in lucem protulerunt, & est ejus mentio apud multos Rabbinorum: qvi omnes cum iisdem verbis (qvod curiosè observavimus) rem narrent, apparet, ex eodem fonte omnes accepisse.* Cui adstipulatur *Sixtinus Amama*, (c) *De Judæis*, inqviens, *testem habemus Maymonidem, cujus in Halacha Sanhedrin c. 13. hæc verba sunt: Postqvam verò confessus est, potionant eum grano thuris in calice vini.* Confirmant id præterea plures, qvorum verba huc apponere supersedemus. Conf. interea *Raymundi Martini Pugionem fidei*, (d) & *Cl. Dn. M. Henningii Archæologiam Passionalem*. (e)

(b) Exercitat. XVI. c. Baronium n. LXXX. (c) in Anti-Barbaro Biblico Libr. III. p. 937. (d) Part. III. Dist. III. c. 16. §. 25. Adde, qvi ex eo ad verbum descripsit, P. Galatinum, de arcanis Catholicæ Veritatis Lib. VIII. c. 19. (e) c. XXX. §. 1.

§. V.

Atqve adeò qvidem curiosè hanc consvetudinem observârunt Judæi, ut non Principibus tantùm aut excellentioris sortis hominibus potum istum dederint, verùm infimam qvoqve vulgi fecem ab isto ritu non voluerint exclusam. Nullum proinde aut Personarum aut flagitiorum respectum habitum fuisse constat. *Cardinalis* certè *Baronius* (f) *JCtum* doctissimum, *Nicolaum Fabrum*, familiaribus secum literis agentem, retulisse scribit: *Antiqvum apud Hebræos morem viguisse, ut omnes, licet vilissimi cruciarii, ante supplicium potârint propinatum myrrhatum vinum.* Qvod sive officium sive beneficium præstitum ipsis fuit ab honestis & nobilibus Matronis, qvæ spontè hujusmodi mittere consveverant. Vide *Raymundum Martini* & *Casaubonum*. (g)

(f) Tom. I. Annal. Ecclesiastic. ad A. C. XXXIV. §. 103. (g) cc. ll.

§. VI.

Ante verò, qvàm degustabat poculum hoc morti jam vicinus, ducebatur eum in locum, qvi supplicio erat destinatus. Illum autem extra urbis pomœria situm fuisse, pleriqve ex Scriptoribus commemorant. Ipse insuper Sacer Codex eâ de re certiores nos reddit. Mosaico enim tempore mortis supplicia sumi solebant in loco à castris aliqvantisper remoto, Num. XV, 35. Postqvam verò urbes inhabitatæ à Judæis, extra easdem illud obtinuit, 1. Reg. XXI, 13. prout hoc ipsum ex locis cita-

tis ostendit pientissimus qvondam Rostochiensium Theologus, *D. Henricus Müllerus, in Jesu patiente.* (h) Idem de Romanis, qvod obiter adjicimus, venit annotandum. Nam & illi similiter capite plectendos extra urbem ducebant. Patet hoc ex loco qvodam *Plautino*: (i)

Credo ego isthoc exemplo tibi esse eundum actutum extra portam,
Dispessis manibus patibulum cum habebis.

Indeqve & *carnificem non modò foro, sed urbis etiam domicilio carere voluerunt leges Censoriæ*, ut *Cicero* loqvitur. (k) Jubebant autem Hebræi hoc in loco constitutum omnia illa scelera atqve flagitia denuò profiteri, ob qvæ vitâ ipsum privare in animo jam habebant. Et admodum qvidem solicitè hanc ab eo postulabant confessionem, in id sedulò intenti, ne minimum reticeret, suoqve adeò testimonio semet ipse condemnaret, illorum interea in puniendis delictis justitiam vel maximè approbans.

(h) c. XLVI. de loco crucifixionis. (i) in milite glorioso Act. II. Sc. IV. (k) pro Rabirio.

§. VII.

His ita transactis, ipsa potûs succedebat exhibitio, nobisqve adeò dispiciendum nunc erit, ex qvânam ille materiâ fuerit compositus. Constabit hoc jamtum suo, ut opinor, modo ex anteà dictis. (l) Calicem scilicet vini adhibitum commemorant, cui, ex constanti Rabbinorum relatione, granum thuris fuit immissum. Eqvidem myrrhâ etiam usos fuisse Veteres in propinando hoc vino, sunt, qvi probare nituntur. Non *Baronius* modò: *Qvod spectat*, inqvit, *ad antiqvum illum Judæorum morem propinandi vinum myrrhatum iis, qvi essent ultimum supplicium subituri: non imus inficias, qvod in Talmudicis Scriptis id sit facilè reperiri*, (m) sed ipse etiam *Casaubonus* eidem hâc in parte assentitur, dum Rabbinos qvidem thus in eam rem nominare scribit, non ideò tamen myrrham excludendam esse censet, vel qvoniam (id qvod non adeò sit infreqvens) species apud Marcum Christo exhibitam potionem recensentem confundantur, vel qvia myrrhâ & thure in eandem rem simul fuerint usi. (n) Sed qvod ad hanc conjecturam attinet, totus à Casaubono abit *Ludovicus de Dieu*, (o) eâ videlicet ratione motus, qvòd hæc longè diversissimi sint saporis. Magis tamen cum eo convenit, qvod *Valentinus Henricus Voglerus in Physiologiâ Historiæ Passionis Jesu Christi* (p) habet,

habet, dum utriusqve istius succi, myrrhæ atqve thuris, affines esse facultates ostendit, ac proin dubium fortasſis non esse refert, qvin utriusqve promiscuus eâ in re, de qvâ h. l. agitur, fuerit usus.

(l) §. IV. (m) Annal. Ecclesiast. Tom.I. p. 173. (n) l. c. p. 447. (o) Observat. in N. T. citante Müllero p. 137. (p) c. V. p. 18.

§. VIII.

Sed qvem qvæso FINEM iis fuisse propositum putabimus? Non alium sanè, qvàm qvi ab ipsis nobis suppeditatur. Id nimirum intendebant, ut accepto hoc haustu ratio puniendos desereret, ne tantoperè supplicii gravitatem doloresqve inflictos persentire valerent. Ita enim expressè *Maymonides* in allato superiùs loco: *Postqvam verò confessus est, potionant eum grano thuris in calice vini,* שתטרף דעתו עליו וישתכר *ut tollatur ab eo intellectus, & inebrietur.* Idem etiam ab aliis Judæorum Scriptoribus annotatur, qvi similiter non aliam ob causam potum hunc ipsis porrectum fuisse dicunt, nisi ut eorum mens perturbaretur, ne mœrerent, atqve ut stupidi fierent. Conf. *Cl. Henningium.* (q)

(q) Archæolog. Pasſional. c. XXX.

§. IX.

Mirum profectò! sed qvod non aliundè suam traxit originem, qvàm ex minùs accuratè percepto genuino sensu illius dicti, qvod sapientisſimus *Salomo* habet Proverb. XXXI, 6. *Date siceram perituris, & vinum his, qvi vehementer perturbato sunt animo.* Plurimi enim, dum finis hujus mentionem faciunt, pro eo defendendo in medium istud solent adducere. Nec Interpretes Scripturæ S. id negant, qvòd Salomo ad istos respiciat, qvi ob sua delicta morti jam tradendi sunt, unde Lutherus etiam noster vertit: Denen / die umkommen sollen. Qvamvis autem *Amama* contrariam fovere videatur opinionem, dum inter alia & hæc scribit: (r) *Sed nec ulla necesſitas est, per* אובד *moriturum intelligere. Potest enim de paupere exponi, ut hoc dicat: Date sic eram pauperi, cujus res & fortunæ pereunt, qvem etiam Belgæ idiomate suo perire dicunt: hy gaet verloren.* Mox tamen à Nostratium explicatione se non adeò alienum esse demonstrat, dum post pauca subjicit: *Qvodsi verò lubeat vocem Ebræam paulò laxiùs accipere pro misero, mœsto, tunc illi, qvi ex sententiâ Judicis morituri sunt, eâ voce, tanqvam species genere, contine-bun-*

nebuntur. Conf. Commentatores ad hunc locum. (s) Nostrum enim non est, eundem prolixiùs explicare.

(r) Anti-Barbar. Bibl. l.c. (s) Ex innumeris vide Osiandrum in Paraphr. Bibl. T. I. pag. 1131. Prücknerum in Vindic. ad h. l. Raupium in Biblioth. Portatil. pag. 1085.

§. X.

Atqve ut finem hunc eò obtinerent faciliùs, ideò thus pariter & myrrham assumere consveverant. Apud priscos enim rei Medicæ Scriptores ejusmodi illis tribuuntur facultates, qvæ mentem à suo solio facilè qveunt deturbare. Nimis, ut puto, prolixum foret, si omnia illa Veterum testimonia, qvibus hoc probatum iverunt, vellem adducere. Pauca saltim eorum in medium afferam. *Dioscorides* (t) citante *Voglero* (u) de *thure* refert seqventia; Λίβανος μανιώδης ἐστι πινόμενος ὑπὸ τῶν ὑγιαινόντων, πλείων δὲ μετ' οἴνου ποθεὶς καὶ κτείνει, h. e. *Thus insaniam facit haustum à benè valentibus, largiùs autem cum vino sumtum etiam perimit. Avicenna* qvoqve, (x) sicut idem Autor testatur, plurimum ejus usum facere soda sive capitis dolorem, item cum vino interficere, similiter cum aceto tradit. Inde etiam factum fuisse docet *Gerh. Joannes Vossius*, (y) ut Ptolomæus Philopator, cum vellet Judæos objicere Elephantis obterendos, largis thuris manipulis vinum condiverit, qvò sic Elephanti prorsus efferarentur, eoq; minus parcerent Judæis, uti cognoscere est ex 3. Macc. c. V. Simile qvid de *Myrrhâ* observarunt iidem. *Dioscorides* (z) δύναμιν καρωτικὴν *gravem soporem gignendi vim* ipsi tribuit. *Avicenna* (aa) *Scotomiam & somnum* ab eâ produci asserit. *Nicolaus Faber* in literis ad *Baronium* missis, qvas supra jam memoravimus, duo *Apuleji* loca huc maximè pertinentia allegat. Unum: (bb) *Indidem se multimodis commaculat ictibus, myrrhæ contra plagarum dolores præsumtione munitus.* Alterum: (cc) *Obfirmatus myrrhæ præsumtione, nullis verberibus, ac ne ipsi qvidem succubuit igni.* Qvæ verba postqvam recitavit *Amama*, (dd) subjicit: *Atqve huc facit, qvod doctissimus Hispanus, Laurentius Ramirez, in Pentecontarcho notavit, sicuti Romani olim semine erucæ in vinum infuso, ita etiamnum in Hispaniâ eos, qvi tormentis subjiciendi sunt, thure & myrrhâ se indurare, atqve eo modo severos Judices eludere.* Vide etiam eadem hæc loca afferentem *Henningium*. (ee)

(t) Lib.

(t) Lib. I. cap. 82. p. m. 22. Edit. Manutii. (u) Physiolog. Hist. Pass. c. V. pag. 16. (x) Lib. II. Tr. II. c. 532. (y) Harm. Evangel. L. II. c. 7. §. 2. p. m. 261. (z) Lib. I. cap. 78. (aa) Lib. II. Tr. II. c. 475. (bb) Lib. VIII. (cc) Lib. X. (dd) loco aliqvoties citato. (ee) Archæol. Pass. p. 310. 311.

§. XI.

Attamen qvidam ex recentioribus frustra Judæos tale qvid hunc in finem adhibuisse testantur. Adducimus vel unicum, qvi ad manus nobis fuit, *Voglerum*, non negantem eqvidem, qvod thuri & myrrhæ ea vis, qvam prisci eidem tribuerunt, competat, at simul tamen observantem, id nonnisi ab imprudenti ac nimio utriusqve usu provenire. *Planè* (qvæ ejus verba sunt) *qvemadmodum crocus & generosi qviq; potus nunc salutem, nunc eadem cum iis mala afferunt, prout moderatè vel immoderatè, tempestivè item vel intempestivè usurpantur. Ab unico itaq; grano thuris vel myrrhæ, cujus Rabbini meminerunt, utiqve talis aliqvis effectus neqvaqvam potuit edi. Qvodsi tantillum duntaxat fuit adhibitum, ex merâ consvetudine, falsâq; de facultatibus earum persvasione, ceu vulgò fieri solet, id factum est.*

§. XII.

De Myrrhâ inprimis prolixè demonstrare satagit *Baronius*, (ff) qvod vires prorsus à modò nominatis alienas soleat exercere. Indeqve eos erroris arguit, qvi vinum, cui myrrha fuerit injecta, pro soporifero habent, & à mente alienare dicunt, solitumqve esse ultimum supplicium passuris propinari, qvò mortem imminentem minus attenderent. Postmodum ex qvodam Athenæi loco probat, qvòd ab ebrietate bibentes præservet, surgentesqve vapores digerat. Asserit præterea Fabrum absqve exemplo aliorum antiqvorum Scriptorum vel alicujus Codicis illa Apuleji loca emendâsse, cumq; in iis legatur *mirè* aut *mirâ*, eum *myrrhæ* minus congruè substituisse. Ex Fulgentio (gg) tandem observat, qvod *Petronius Arbiter* ad libidinis concitamentum sese poculum myrrhâ conditum bibisse testetur. Ipsum tamen refutat eruditissimus *Casaubonus*, (hh) qvem omninò vide.

(ff) l. c. à §. 103. ad 108. inclus. (gg) Lib. 3. Mytholog. (hh) Exercit. cit.

§. XIII.

Sed, qvicqvid ejus sit, lites hæ ad Physicorum Medicorumqve Scholas remittendæ potiùs sunt. Nobis interea sufficit ostendisse, qvod

Hebræi, dum poculum thure aut myrrhâ conditum puniendis propinârunt, cum sibi finem firmiter habuerint propositum, ut ratione illos spoliarent. Qvod tamen, an cum, an absqve effectu fuerit præstitum, ad nos tantoperè non pertinet.

§. XIV.

Non solos autem Judæos fuisse constat, qvi violentâ morte perituris potum qvondam exhibuerunt. Apud alios enim populos eandem, aut certè similem, consvetudinem licet reperire. *Casaubonus* jampridem annotavit, qvod similis humanitatis genus inveniat apud *Athenienses*. Testantur id seqventia ejus verba: *Qui damnati capitis fuerant, cùm è loco judicii exibant ducendi ad supplicium, cibum vinumq; largiùs sumendi facultatem habebant, tum etiam poterant tria, qvæ vellent, cunq; proloqvi. Deinde ubi edendi bibendiq; finem fecerant, ore obturato ad pœnam rapiebantur.* Inde natum apud eos dicit Proverbium, imprecationis vim habens: *Dicas tria illa, qvæ ad curiæ egressum licent.* Cujus non modò diverbii, sed consvetudinis qvoqve mentio fit apud *Suidam*, (ii) qvem ibi etiam allegat.

(ii) in εἴποις τὰ τρία τὰ ἐκ τῆς αὐλῆς. Vid. Erasmum in Adagiis p. m. 373. b. (Edit. Hanov.) ubi hoc Proverbium ex Zenodoto profertur.

§. XV.

Veruntamen inter hunc & Judæorum morem notabilem satis intercedere differentiam, qvotusqvisqve est, qvi non animadvertit? Sanè *Hebræi* potum porrigebant in locum supplicii jamjam perductis, sed *Athenienses* persistentibus adhuc in judicio. *Illi* vinum cum grano thuris aut myrrhæ bibendum tradebant, *hi* non potu solùm, sed cibo etiam fruendi potestatem concedebant uberiorem. *Illi* rationem auferre nitebantur, *hi* constantem tantummodò & præsentem ad sustinenda supplicia animum in puniendis excitabant.

§. XVI.

Baronius subobscurè videtur asserere, ejusmodi consvetudinem in in Martyrum suppliciis etiam obtinuisse. Verba ejus, ex qvibus colligi hoc poterit, adscribere non pigrabimur. Ita autem ille: *Adjicimus ad hæc omnia Corollarium de usu vini conditi sanctis Martyribus etiam propinati egregium Exemplum ex Actis sanctorum Martyrum, Fructuosi, Episco-*

Episcopi Tarraconensis & Sociorum, qvæ noverunt atqve probârunt sanctus Augustinus & Prudentius. Hæc enim ibi leguntur: Cum ad locum, ubi essent subituri supplicium, ducerentur, cumq; multi ex fraterna charitate ei afferrent condimentum, ut permixtum poculum sumeret, ait: Nondum est hora solvendi jejunium. Agebatur enim hora diei qvarta &c. Sed meritò tamen dubitamus, an hoc ipsum ad aliqvam consvetudinem ex iis, qvæ antea allatæ sunt, commodè qveat referri.

§. XVII.

Nostro adhuc tempore utriusqve moris tàm apud Hebræos qvàm Athenienses usitati vestigia deprehendimus. Apud nos enim captivi eâ fruuntur gratiâ, ut iis aliqvot ante internecionem diebus, qvodcunqve tandem cibi & potionis genus flagitent, porrigatur. Magis tamen notabilis est illa ad Hebræos propiùs accedens consvetudo, qvam in hunc usqve diem apud *Lubecenses* potissimùm observari inaudivimus. Ibi enim malefici tribus distinctis vicibus in viâ, per qvam ad supplicium tendunt, potu qvodam reficiuntur, & præcipuè, dum Pharmacopœi officinam prætereunt, singulare vini genus, variis iisqve svavissimis aromatibus conditum, ex argenteâ phialâ hauriunt. Finem utrobiqve unicum esse existimo, eum videlicet, ut exhilaretur eorum mens, ne præ nimiâ timiditate aut subitaneo animi deliqvio citiùs intereant, qvàm ubi ad præfixum locum perventum fuerit.

§. XVIII.

Atqve hæc dicta in genere sufficiant de potu puniendis qvondam dari solito. Seqvitur jam

SECTIO SECUNDA,

De

POTU CHRISTO ANTE CRUCIFIXIONEM EXHIBITO.

SUMMA.

§. 1. Duplicis potûs Christo dati apud Evangelistas mentio.
2. Illius, qvi in Cruce datus est, consideratio removetur, at, qvi ante crucifixionem, verbis Matthæi & Marci describitur.

 3. Hunc

3. Hunc ab illo diversum esse ostenditur.
4. Qvo tempore & loco datus fuerit?
5. Apparens Evangelistarum, Matthæi atqve Marci, contradictio.
6. Unum eundemqve ab utroqve potum describi contra Euthymium probatur.
7. Nullam in textu contigisse mutationem demonstratur.
8. Augustini sententia, Vocabuli χολῆς *lata acceptio.*
9. Maldonati opinio. Prophetia ex Ps. LXIX, 22. profertur.
10. Ejusdem explicatio recitatur.
11. Baronius potum hunc Veterum myrrhinam appellat.
12. Myrrhinæ duo genera.
13. Primum consideratur, ubi simul de vasis myrrhinis qvædam.
14. An ista myrrhinæ species huc pertineat; disqviritur.
15. Alterum myrrhinæ genus.
16. Sententia, qvòd mulieres devotæ potum Christo miserint, à Casaubono recipitur.
17. A qvibusdam tamen repudiatur.
18. Sed nobis præ reliqvis arridet.
19. Confusionem myrrhinæ cum vino myrrhato fugiendam esse contenditur. Hoc non istam huc pertinere docetur.
20. Finis duplex indicatur.
21. Cur Christus bibere noluerit, nonnullæ conjecturæ afferuntur. Evangelistæ conciliantur.
22. Tractationis vilitas excusatur, & pio suspirio concluditur.

§. I.

QVemadmodum divini Evangelistæ sedulò ea omnia annotârunt, qvæ ad cruentam Salvatoris nostri Passionem qvocunqve modo pertinent; ita *potûs* qvoqve eidem à Judæis porrecti mentionem Scriptis suis voluerunt inserere, qvò integra ejus memoria ad nos transmitteretur. Inde non solùm referunt, qvod, cum in locum, qvem supplicio destinaverat nefanda Judæorum cohors, pervenisset, poculum ipsi qvoddam fuerit exhibitum, sed addunt insuper, eum, cùm ligno maledicto jam hæreret infixus, ob vehementem sitim anxiâ voce potum postulasse, imò impetrasse etiam, sed talem, qvi de obstinatâ hostium malitiâ satis superq; poterat testari.

§. II.

§. II.

Postremum eqvidem potionis genus arctioribus hujus Dissertationis limitibus haut includemus, peculiarem enim considerationem istud suo jure sibi postulat; verùm circa *prius* exponendum hâc vice erimus occupati, qvod à duobus ex sanctissimo τῶν Θεοπνεύςων ordine, *Matthæo* puta atqve *Marco*, nobis describitur. Propria utriusqve verba adducemus in medium. *Matthæus* seqventia de eo refert: (a) Καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅς ἐςι λεγόμενος Κρανίȣ τόπος; Ἔδωκαν αὐτῷ πιεῖν ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον. Καὶ γευσάμενος ȣ̓κ ἤθελε πιεῖν. Qvod latinè, *Bezâ* qvidem vertente, ita habet: *Et qvum venissent in locum, qvi dicitur Golgotha, qvod est Calvariæ locus. Dederunt ei acetum bibendum cum felle mistum, & qvum gustâsset, noluit bibere.* *Marcus* autem rem eandem hâc effert ratione: (b) Καὶ φέρȣσιν αὐτὸν ἐπὶ Γολγοθᾶ τόπον, ὅ ἐςι μεθερμηνευόμενον Κρανίȣ τόπος. καὶ ἐδίδȣν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον. Ὁ δὲ ȣ̓κ ἔλαβε. *Duxeruntq; eum in locum Golgotha, qvod est, si interpreteris, Calvariæ locus. Et dederunt ei bibendum myrrhatum vinum, ipse verò non sumsit.*

(a) c. XXVII. 33. 34. (b) c. XV. 22. 23.

§. III.

Potum autem hunc, qvem Evangelistarum modò verbis descripsimus, diversum esse ab eo, qvi Domino in cruce datus fuisse legitur, ac cujus qvoq; mentio fit apud *Lucam* (c) & *Johannem* (d) in Solis, qvod ajunt, mensâ positum cognoscimus. Negavit tamen illud non *Chrysostomus* tantum, sed ipsum etiam seqvutus *Euthymius*, Monachus Zigabenus, seculo duodecimo ex Commentario in qvatuor Evangelia cognitus, prout qvidem ex *Maldonati* (e) relatione constat. Sed non ullam profectò sententiæ illius probabilitatem valemus deprehendere, qvin potiùs accurato studio hunc ab isto distingvendum esse, ex firmissimis plurimarum rationum ponderibus colligitur. *Hic* enim Christo, anteqvam cruci affigeretur, *ille* autem, postqvam ei jam affixus esset, datus est. (f) *Hic* porrigebatur à militibus eo non poscente, *ille* ad qverulam intolerabilis sitis professionem ori ejus admovebatur. *Hic*, cum aliqvantò firmioris adhuc esset corporis, *ille*, ubi ob virium defectum Spiritus eum jamjam erat deserturus. In *hoc* myrrhatum vinum, acetum itidem felle mixtum adhibitum fuisse Matthæus atqve Marcus tradunt,

in *illo* ſolum acetum reliqvi omnes memorant. Qvem proinde in finem Evangeliſtæ unum eundemqve potum modò ad hoc modò ad illud tempus retuliſſent, & jam his jam illis circumſtantiis diſtinctum exhibuiſſent, intelligere, ut verum fatear, non poſſum. Vide *Maldonatum*. (g)

(c) c. XXIII, 36. (d) c. XIX, 29. (e) Commentar. in Matthæi cap. XXVII. p. 630.

(f) Marloratus eqvidem hoc tantùm dicit eſſe probabile: Qvanqvam (ſunt ejus hæc verba) non ita curioſè digerunt Evangeliſtæ ſingula qvæqve ordine ſuo, ut notari certò qveant temporum momenta, probabili tamen ratione conjicitur, anteqvam in crucem tolleretur Dominus, pro more porrectum ex calice ipſi fuiſſe vinum myrrhatum. In Expoſitione Eccleſiaſticâ N. T. ad h. l. p. 216. At ipſa tamen Textûs inſpectio dubitare nos non permittit. (g) c. l.

§. IV.

Magnâ hactenus patientiâ perpeſſus erat Salvator noſter tot injurias, ſuſtinuerat in ſanctiſſimo ſuo corpore tot dolores, tot plagas, tot vulnera, ut ad ipſius aſpectum crudeliſſimus qvisqve facilè commoveri potuiſſet. At Principes tamen Sacerdotum militesqve & univerſus fermè populus omnem penitus depoſuerant commiſerationem. Inhumano proin more de loco eum in locum rapiebant, tandemq; crucis etiam mole gravatum, illuc trahebant, ubi ultimus ex gentis conſvetudine potus ipſimet erat porrigendus. Revocandum heîc ex ſuperiùs allatis illud eſt, qvod apud Judæos locus, ubi ultima de maleficis ſumi ſolebant ſupplicia, extra urbis muros ſitus fuerit. Similem itaqve in modum extra Hieroſolymarum pomœria Chriſtum ducebant milites, &, qvemadmodum morti eum tradere in loco ab urbe non parùm diſtante ſibi propoſuerant; ita in eodem qvoqve potum ipſi ante crucifixionem ſuper lapidem, ut Antiqvitas refert, ſedenti, (h) propinabant. Qvalis iſte locus fuerit, Evangeliſtæ clarè ſatis docent. Vocabatur videlicet *Golgotha*, aut, uti paucis legendum videtur potiùs: (benè verò, an ſecus non definio) *Golgoltha*, qvod idem ac Calvariæ locum ſignificat. Qvi tamen an denominationem iſtam acceperit *vel* à capite primi omnium hominum, Adami, ibidem ſepulti, qvæ plerorumqve Patrum eſt ſententia, qvos citant *Gerhardus*, (i) *Voſſius* (k) & *Müllerus*; (l) *vel* ab hominibus in eo decollari ſolitis, qvod *Hieronymo* atqve *Voſſio* placet; *vel* denìqve à formâ, qvam habuerit, Calvariæ, prout *Georgius Calixtus*, *Müllerus*, *Calovius*, aliiqve ſtatuunt, ſolicitè jam non diſqviremus, cum id ad præſens noſtrum inſtitutum non adeò multùm arbitremur conducere.

re. Confer interea *Cornelium à Lapide*, (m) *Barradium*, (n) *Hugonem Grotium*, (o) *Calovium*, (p) atqve alios.

(h) Vide M. Henningii Archæologiam Passionalem c. XXX. §. 3. (i) Harm. Evangel. ad h. l. (k) Harmoniæ Evangelicæ Lib. II. c. 6. §. 16. p. 256. seqq. (l) in Jesu patiente §. 47. (m) Commentar. in Matth. p. 531. (n) Commentar. in Concord. & Histor. Evangel. Tom. IV. Lib. VII. c. 11. (o) Comment. ad Matth. XXVII. 23. (p) in Bibliis Illustratis p. 457.

§. V.

Nos ad ipsum potum jam transibimus, eumqve, prout ab Evangelistis traditus est, expendemus. Matthæus illum nuncupat ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον, *acetum cum felle mixtum*; at Marcus οἶνον ἐσμυρνισμένον dicit, qvæ adversâ penitus fronte concurrere & vel maximè inter se pugnare videntur. Factum hinc est, ut in plurimas partes scisi fuerint Interpretes, aliiqve hanc alii aliam qvæsierint conciliationem, adeò, ut in hâc sententiarum mirum in modum â se invicem discrepantium varietate vix pateat, cuinam ex illis calculus tutò qveat adjici. Aliqvot saltem earum breviter jam excutiemus, omnes enim ut recenseamus, chartæ non permittit angustia, & plurimas earum eruditissimè jamtum ventilavit Theologus de totâ Ecclesiâ orthodoxâ meritissimus, *Joh. Gerhardus*, ad qvem B. L. subinde remittemus.

§. VI.

Illud autem ante omnia tanqvam certissimum supponendum venit, unum atqve eundem ab utroqve Evangelistâ potum proponi. Et qvamvis hunc, qvem Matthæus memorat, ab illo, qvem Marcus describit, diversum esse statuat *Euthymius*, aliosq; acetum cum felle mistum, alios vinum myrrhatum præbuisse existimet, prout *Maldonatus* testatur; (q) paucissimos tamen sibi hâc in re nactus est assentientes. Et monstrat præterea ipse, qvi sanctis his Duum-Viris præfixus est scopus, eos, sicut unam Historiam describunt, & in reliqvis illius circumstantiis satis cæteroqvin accuratè conveniunt; ita potus etiam non diversos, licet diversis verbis usi fuerint, voluisse designare.

(q) Comment. in Matth. p. 630.

§. VII.

Nec ullam contigisse mutationem affirmamus. Non temerè enim tale qvid statuendum esse, Venerandi nos edocent Theologi. Minùs proinde commoda videtur *Vossii* opinio, qvod ὄξος apud Matthæum,

pro

pro: οἶνος, qvod apud Marcum est, in Textum sacrum hodiè irrepserit. *Nempe*, [qvæ ejus verba sunt, (r)] *videtur pro οἶνος librarius ὄξος rescripsisse, facili errore in eâ vocum affinitate.* Vulgatus etiam interpres non acetum in Matthæi loco, sed vinum nominat. Et testatur *Cornelius à Lapide*, (s) *Origenem, Ambrosium, Hieronymum, Hilarium, Augustinum*, similiter vinum apud Matthæum rectè omninò legere, *Græcam* contra ac *S. Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium, ut & Syrum* pro οἶνος corruptè habere ὄξος. Consentit per omnia *Maldonatus*, (t) *qvod*, inqviens, *hoc loco ὄξος, i. e. acetum, legitur, qvamvis & Chrysostomus, & qvod amplius est, Syrus interpres ita legisse videantur, tamen vitiosam esse lectionem ex Marco manifestum est, apud qvem eandem Historiam enarrantem nemo unqvam nisi vinum legit.* Verùm hi nonnisi in vulgatæ suæ Versionis favorem talia videntur scripsisse. Statim tamen *Vossius* isti suæ sententiæ subnectit: *Nisi malis acetum dixisse, qvod vinum erat, sed acidum, aut vinum aceto fuisse permixtum.* A qvâ posteriori opinione non tantoperè dissentit *B. Gerhardus*, (u) dum ita scribit: *Non necessarium est, corruptionem qvandam in Textu Græco heîc agnoscere, qvia vinum acidum indistinctè & vinum & acetum appellari solet, ac fieri potuit, ut vinum illud, qvod solenni consvetudine cum grano thuris mixtum supplicio afficiendis dari fuit solitum, aceto largiter infuso, ac myrrhæ fellisq; admixtione corruperint, cum Christo esset illud dandum.*

(r) Harm. Evangel. Lib. II. c. 7. (s) Comment. ad Matth. p. 532. (t) Comment. in Matth. (u) Harm. Evangel. c. l.

§. VIII.

Alia adhuc est *Augustini* explicatio; (x) qvi myrrhatum vinum putat non felle qvidem fuisse infectum, sed Matthæum tamen felle mistum appellâsse, qvod amarum esset, ut solemus, qvicqvid amarum est, aut fel aut felle mistum appellare. Putat etiam idem *Augustinus*, qvem Beda & Strabus imitantur, probabile esse, vinum & myrrhâ & felle simul fuisse infectum, & Matthæum fellis, non myrrhæ, Marcum myrrhæ, non fellis fecisse mentionem. Vocabulum: χολῆς, qvod Matthæus habet, tàm laxè nonnulli statuunt accipiendum, ut qvamvis amaritiem denotet. Hos inter memorandus etiam est *Hugo Grotius*, qvi suam hanc sententiam inter alia exinde probare annititur, qvod Syrus Interpres in loci hujus versione ejusmodi adhibuerit vocabulum, qvod ad absin-

absinthium non minùs qvàm ad fel qveat accommodari. Vide præterea hâc de re *Gerhardum* (y)

(x) Lib. III. de consens. Evangel. c. 11. citante Maldonato l. c. (y) Harm. Evangel. cap. 197.

§. IX.

Maldonatus (z) eo consilio Matthæum hoc acetum fellè mistum dixisse suspicatur, ut, etiamsi nôsset, qvod non vero felle, sed metaphorico, i. e. amarâ myrrhâ Judæi istud depravârint, Davidis tamen Prophetiam fuisse impletam uno obiter verbo doceret. Qvo ipso respicit ad illam qverelam, qvam per os divini sui Prophetæ, Davidis, Salvator optimus diu ante suam Incarnationem protulerat: *Dederunt in escam meam fel, & in siti meâ propinaverunt mihi acetum.* Theologi enim non dubitant, qvin Christus in illo loco sub personâ Davidis hæc locutus sit. Illam etiam Prophetiam impletam esse eo ipso tempore, qvo potum, de qvo nunc agimus, Christo hauriendum apposuerunt Judæi, observant. Neqve aliud habet fundamentum istud *Sibyllæ* cujusdam Oraculum, qvod à *Lactantio Firmiano*, (aa), refertur h. m.

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, κ' εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν,
Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

& ab *Augustino* (bb) ex græco ita translatum est: *Ad cibum autem fel, & ad sitim acetum dederunt. Inhospitalitate hanc monstrârunt mensam.* Conf. *M. Joh. Georgii Hutteni, Marchionat. Lusat. Infer. Superintendentis qvondam Generalis, Meditationem Theologicam de potu felleo & acetoso Christo agonizanti porrecto, Anno* 1671. *Gubenæ editam*, ubi plurima, qvæ huc pertinent, videri possunt. Adde etiam *Gerhardum* & *Henningium.* (cc)

(z) Loco sæpiùs citato. (aa) Libro de verâ Sapientiâ, qvi est IV. Institut. divin. c. 18. p. m. 321. sq. (bb) Lib. VIII. de Civitate DEI c. 23. (cc) ll. cc.

X.

Qvâ autem ratione verba hæc ad præsens institutum qveant applicari, de eo non una iterum est Interpretum opinio. *Euthymius* ejus Explicatione Evangelistas nostros simul allaborat conciliare, & Christo non acetum solùm pro potu, sed fel etiam exsiccatum acetoqve isti injectum pro escâ appositum fuisse affirmat. Ita enim suam nobis mentem exponit. *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse, ut acetum qvidem loco vini esset, illa verò fragmenta pro buccellâ panis. Et*

præcipuè sanè potum dederunt, consecutivè verò etiam cibum. His enim, qvi animo destituuntur, vinum præbere solemus, injecto pane, ut primùm bibentes, postmodum etiam possint edere. Arridet hæc sententia *Cornelio* etiam *à Lapide.* Sed eam tamen simpliciotem dicit *B. Gerhardus*, qvia probabile non sit, qvod Christo ad deliqvium animæ excarnificato, & adhuc jejuno refectionis loco felleum acetum pro cibo & potu simul dederint. Qvod autem fel in allegato loco escam nominet Propheta, id factum dicimus cum *Gerhardo* ob hac rationem, qvia potus, dum in partem nutrimenti cedit, cibi nomine qvandoqve continetur, qvemadmodum lac vocatur cibus 1. Cor. IX, 7. cum tamen sit potus. Confer *Huttenum* & *CL. M. Henningium.* Certum itaqve est, qvod truculentissimi milites verum acetum, verum etiam fel, seu flavam aliqvam bilem, eamqve non exsiccatam aut aridam, sed adhuc recentem, Christo exhibuerint.

§. XI.

At qvid de οἴνῳ ἐσμυρνισμένῳ, cujus Marcus meminit, statuendum nobis porrò est? Baronium si consulamus, promtissimè is asseret, nihil eo aliud, qvam *Murrhinam*, sive *Myrrhinam* Romanorum indigitari. Cujus sententiam qvò intelligamus rectiùs, aliqvantum eidem immorabimur.

§. XII.

Duplicis scilicet generis fuisse vinum hocce myrrhinum deprehendemus. *Unum*, qvod à vasis, qvibus infundebatur, ita dictum esse statuitur; *alterum*, qvod variis aromatibus ac myrrhæ potissimùm odore erat conditum, saporeqve non injucundo cupidis sui amatoribus valdè sese commendabat.

§. XIII.

Pocula myrrhina qvalia fuerint, curiosus ille naturalium rerum indagator, *Plinius*, indicat, cujus qvædam verba huc adscribemus. *Oriens murrhina mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maximè Parthici regni, præcipuè tamen in Carmaniâ. Humorem putant sub terrâ calore densari. Amplitudine nusqvam parvos excedunt abacos, crassitudine raro, qvanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorqve veriùs, qvàm splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumagentibus se maculis in purpuram, candoremqve, & tertium*

ex

ex utroq; ignescentem, velut per transitum coloris purpurâ rubescente aut lacte candescente - - - translucere qvidqvam aut pallere vitium est - - Aliqva & in odore est commendatio. (dd) Dissentit tamen qvoad horum originem *Michaël Mercatus, Miniatensis*, qvi, *Baronio* teste, (ee) ipsam poculorum myrrhinorum materiam ex myrrhæ arbore incisâ fluentem iu massam coagmentari tradit, coloribusqve ad speciem inductis, artem inde potoria fingere, qvæ in summis populi Romani essent deliciis. Et sanè de eorundem apud Romanos pretio non *Juvenalis* modò testatur, qvando ita alicubi canit:

Grandia tolluntur crystallina, maxima rursus
Myrrhina.

Sed *Seneca* etiam, dum in poculorum qvorundam pretiosissimorum enumeratione aliqvem & ipsis locum tribuit: *Illa*, inqviens, *hoc unum jubet, sitim extingvi, utrum sit aureum poculum, an murrhinum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert.* (gg) Conf. *Thomæ Dempsteri Antiqvitates Romanas.* (hh) Hodiè ea prorsus ignorari scribunt *Bulengerus* (ii) *Pancirollus* (kk), aliiq; qvos apud *Kippingiū* (ll) allegatos vide. Econtra etiam sunt, qvi pocula murrhina eadem esse, qvæ *Porcellana* nostra, perhibent. Confer modò citatum *Kippingium*, cui adjunge *Jo. Gvilielmum Stuckium in Antiqvitatibus Convivalibus.* (mm) Vinum itaqve myrrhatum dictum ideò esse contendit *Baronius*, qvod in vasis myrrhinis ad saporem odoremqve qværendum calidum poneretur. Qvò refert etiam illud *Martialis:* (nn)

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior fit sapor inde mero.

(dd) Lib. XXXVI. c. 2. p. 1565. (ee) Tom. I. Annal. Ecclesiast. ad A. C. 34. num. 98. Kippingius c. l. refutari scribit Mercatum (qvem ipse sub Ludovici nomine allegat) à Jacobo Gretsero libr. de vino myrrhato, qvem tamen videre nondum potuimus. (ff) Sat. VII. v. 154. ubi Scholiastes Vetus observat: de murrha pocula tincta facta. Edit. Schrevelii p. 178. (gg) Epist. CXIX. (hh) c. XXX. (ii) Lib. IV. de Conviviis c. 13. (kk) in opusculo de veteribus amissis c. VII. (ll) Antiqvit. Roman. Lib. IV. c. 3. (mm) Antiqv. Conviv. L. III. (nn) L. XIV. Epigr. CXI.

§. XIV.

Cæterum an ejusmodi potus, in vasis myrrhinis recensito modo calefactus, Christo datus fuisse censendus sit, de eo admodum dubitant

Eruditi. *Casaubonus* certè (oo) contra *Baronium* demonstrat, qvod vinum poculis myrrhinis infusum *ἐσμυρνισμένον* ideò statim vocandum non sit, qvodqve ea sententia exemplo similis Analogiæ defendi neqveat. Nunqvam enim aliqvem Veterum Scriptorum *vinum ὑαλισμένον* dixisse, qvod in vitrea pocula esset infusum, aut *ἠργυρισμένον*, qvod in argentea. Et qvodsi vel maximè concederemus, dici ita potuisse istud vinum, an tamen ullo modo persvadere sibi qvisqvam poterit, vasa illa tam pretiosa tamqve fragilia sceleratissimis istis militibus fuisse concredita? An foculus etiam adfuit, in qvo vinum calefieri poterat? *Et qvodsi qvisqvam velit comminisci, in myrrhino vinum fuisse antea calefactum, sed deinde in aliud vas refusum, is præter fingendi, qvam sibi sumit licentiam, hoc etiam incommodum subire cogitur, ut concedat, plus hoc modo generositati vini decedere & sapori, qvàm gratiæ addant myrrhina. Omne enim vetus vinum calefactum & refrigeratum langvidum est & insalubre, evaporantibus spiritibus, & fœculentiore materiâ residente*, qvæ *Mülleri* verba sunt (pp)

(oo) Exercit. XVI. n. 18. (pp) in Jesu patiente p. 136.

§. XV.

Altera vini myrrhini species, cui myrrha præcipuè unà cum aliis qvibusdam aromatibus injiciebatur, potiori hoc nomen jure mereri videtur. Ita de hoc potu loqvitur *Plinius: Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti Fabulâ, qvæ Persa inscribitur, qvanqvam in eâ & calamum addi jubet. Ideò qvidam aromatite delectatos maximè credunt. Sed Fabius Dossenus his verbis decernit:*

Mittebam vinum pulchrum, myrrhinam.

Et in Acharistione:

Panem & polentam, vinum, myrrhinam.

Scævolam qvoqve & Lælium & Attejum Capitonem in eâdem sententiâ fuisse video, qvoniam in Pseudolo sit:

Qvod si opus est, ut dulce promat
Indidem, ecqvod habet? rogas?
Murrhinam, passum, defrutum, mella.

Qvibus apparet, non inter vina modò myrrhinam, sed inter dulcia qvoqve nominatam. (qq) Plinianam hanc assertionem contra *Salmasium* prolixè defendit *Voglerus*, (rr) qvem vide. Sed format sibi *Baronius*, post

pro-

prolatum hocce Plinii dictum, objectionem qvandam, Myrrhinam scil. inter vina numerari vel eo nomine non posse, qvod ejus usus Romanorum mulieribus legatur concessus, qvibus tamen aliàs vinum bibere non permittebatur. Et verum hoc omnino est. Testatur enim *Plinius:* (ss) *Egnatii Mecenii* uxorem, qvod vinum bibisset è dolio, interfectam fuste à marito, eumqve cædis à Romulo absolutum fuisse. *Fabium* etiam *Pictorem* in *Annalibus* retulisse scribit: Matronam, qvod loculos, in qvibus erant claves cellæ vinariæ, résignavisset, à suis ineditâ mori coactam. Verùm ad id Baronius respondet, ejus tantummodò vini usum Romanis fœminis olim ademtum, qvod inebriaret. At myrrhinam potiùs ab ebrietate præservare prolixiùs ostendere conatur.

(qq) Lib. XIV. c. 13. Vide m. Jacobi Dalechampii notas ad hunc locum. (rr) Physiolog. Passional. c. V. (ss) Lib. XIV. c. 13.

§. XVI.

An itaqve hoc vinum devotæ, ut Baronio placet, mulieres Christo obtulerunt? Jesuita, *Sebastianus Barradius, Olisipponensis*, sententiam hanc suâ non carere probabilitate, nihilqve esse, qvod eam refellat, asserit. (tt) Et sanè, qvod ad devotas attinet mulieres, non pauci eruditissimorum Virorum humanitatis hoc genus iis tribuunt, easqve myrrhatum Christo poculum præparâsse opinantur, id qvod tamen Judæi postmodum affuso aceto atq; felle detestandâ crudelitate corruperint. *Videtur*, inqvit Casaubonus, *à sanctis mulieribus* (uu) *vinum myrrhatum Christo paratum fuisse consvetudine gentis: sed qvum accedere ad Dominum non possent, ac ne honestas qvidem, opinor, pateretur, vinum præparatum militibus tradiderunt Domino porrigendum. Illi, ut erant proni ad omne scelus, felle immixto poculum mulierum piarum corruperunt. Ad hanc faciendam Conjecturam mihi præiverunt ipsa Evangelistæ verba, qvæ & beneficium Matronarum & maleficium militum, si diligenter expendantur, disertè exprimunt. Marci* οἶνος ἐσμυρνισμένος *h. e. vinum myrrhatum, ipsissimam ejus populi consvetudinem & factum mulierum ob oculos ponit. Matthæus, qvi appellat acetum, & qvidem felle mistum, scelus militum detestabile commemorat. - - Non puto fore aliqvem simplicis veritatis amantem, qvi in superiori expositione non acqviescat.*

(tt) Comm. in Concord. & Hist. Evang. Tom. IV. Lib. VII. c. 11. (uu) loco sæpiùs allegato.

§. XVII.

Non desunt tamen, qvi nomen suum huic opinioni subscribere recusant. Hos inter est *Müllerus* (xx) *Huttenus* (yy) *Ludovicus de Dieu* (zz) *Lightfootus* (aa) qvorum postremus qvidem Marci verba pro more gentis intelligit, at Matthæi pro reverà præstito. Dederunt scilicet Christo poculum illud, qvod ad supplicium ductis dari fuit solitum, ast, Matthæo referente, non eâ, qvâ aliàs consveverat, mixturâ, vino scil. aut thure & myrrha, sed aceto, & felle. Conditum proinde hoc poculum putat non à piis atqve honestis Matronis, sed à Scribis, reliqvisqve Salvatoris nostri Persecutoribus.

(xx) l. c. p. 133. (yy) Meditat. supr. cit. §. 14. 39. (zz) apud Müllerum p. 137. (aaa) in Horis Talmudicis p. 492.

§. XVIII.

Nos, etiamsi istis autoritatibus hautqvaqvam adversemur, ad *Casaubonum* tamen propiùs accedere non dubitamus. Adstipulantur enim ipsi Viri Clarissimi, *Gerhardus* puta, (bbb) *Calixtus*, *Qvistorpius*, (ccc) *Calovius*, (ddd) & plures alii. Ratio præterea, qvam affert Casaubonus, firmo, ut opinor, talo subsistit. Referunt enim de piis Matronis Evangelistæ, qvod Christum multis gemitibus & lacrymis ad locum usqve supplicii fuerint prosecutæ, adeò, ut ipse etiam easdem monuerit, ne suam hanc passionem tantoperè deplorarent. Qvidni itaqve istud humanitatis officium, qvod iis ex gentis consvetudine observandum aliàs erat, easdem Domino præstitisse credamus, ut vinum ei myrrhatum ipsæ confecerint? Qvod autem illud ad Christum non pervenerit integrum, non ipsarum certè sed militum neqvissimorum culpâ accidit. Acetum enim illi cum felle immiscebant. Adeoqve optimo jure poterat Marcus vinum myrrhatum nuncupare, qvod Matthæus acetum cum felle mistum dicit, qvia Marcus illud tanqvam adhuc integrum, Matthæus autem ut neqvitiosè jam corruptum describit.

(bbb) Harm. Evangel. loco citato (ccc) ille in Concord. Evang. Lib. VI. c. 13. hic in annotatis Biblicis ad h. l. prout observat Müllerus l. c. (ccc) in Bibliis illustratis. p. 457.

§. XIX.

Qvidam vinum à piis Matronis præparatum milites ajunt ebibisse, trahentes huc locum ex *Amos II. 8.* (eee) adeoqve vinum hoc dulce fuisse non obscurè statuunt. Nos autem etiamsi tantoperè istud amarum fuisse

fuisse non dicamus, nec tamen pro adeò dulci venditandum esse credimus, & assentimur *B. Calovio*, qvi hoc statuentes, myrrhinam potionem cum myrrhatâ confundere perhibet. Illam satis fuisse jucundam, & ad gulæ oblectamentum plurimùm contulisse non negamus; sed nostræ tantam adscribi posse dulcedinem, qvæ milites ad istam ebibendam, & ad negligendam ita penitus consvetudinem Hebræis usitatam, commoverit, vix veri speciem habere judico. Accedit, qvod multi circa hanc Prophetici illius dicti explicationem multa soleant monere, dubiumqve proin sit maximum, an ad hoc militum factum commodè qveat referri.

(eee) Vide inter alios Raymundi Martini Pugionem fidei P.III. Dist. III. §.25. sq.

§. XX.

Finem autem, qvem propositum sibi Judæi habuerunt, duplicem statuimus: Unum, (qvem & generalem nuncupare posses) ut consvetudinem apud suam gentem receptam observarent; alterum, (qvi specialis erat,) ut eò majoribus tormentis Christum exagitarent. Liberum tamen unicuiqve relinqvemus judicium, qvam ex allatis hactenus sententiis amplecti velit aut repudiare. Nobis sanè hæc, qvam & Casaubonus, & plurimi ex Nostratibus fovent, præ reliqvis arridet. Et licet eam pro certâ atqve omninò indubiâ venditare non audeamus, id tamen firmiter nobis habemus persvasum, qvod cæteræ opiniones suis itidem, si accuratè examinentur, difficultatibus, iisq; nostris fortè & pluribus & gravioribus, laboraturæ sint.

§ XXI.

Hoc interea notandum superest, qvod ab Evangelistis addatur, Christum propinatum istud vinum bibere recusâsse. Qvod qvamobrem factum sit, adhuc disceptatur. Sunt, qvi eum adversatum fuisse Judæorum volunt malitiam, qvâ vinum acetô & felle corruperant. Sunt etiam, qvi pro venenato eum istud habuisse opinantur. Aliorum hæc est conjectura, qvod dicti illius sui memor esse voluerit, se non bibiturum amplius de fructu vitis, usqvedum regnum DEI venerit. (fff) Alii deniqve eo ipso nostrum indicâsse Salvatorem statuunt, brevi qvidem se mortis amaritudinem gustaturum, at paulò tamen pòst resurrecturum esse. Qvem in sensum qvoqve cecinit Poëta *Sedulius*:

- - - *Tetigit labiis & ab ore removit.*

Qvip-

Qvippe necem parvo degustatu
Tempore, qvam reduci contem

Matthæus, cum gustâsset, noluisse eum
qvidem, asserit. Adeoqve denuò sibi E
tur contradicere. Sed videntur! *Qvo*
vit, idem Marco dicitur: οὐκ ἔλαβε, *b.*
ti λαμβάνειν τὸ ψωμίον *est panem jenta*
tem ideò bibere Christus, qvia menti exte
tem postea, qvia sitiebat, ἔλαβε τὸ ὄξ
mus, *Hugonem Grotium.* (hhh) *Atq;*
boni verba (iii) mea faciam,) *in hâc H*
ctenus est, *evenire illud, qvod passim tot*
invicem Evangelistæ divinitùs adjuven
pleant atq; interpretentur.

(fff) Luc.XXII,18. Conf. Matth. XXVI,29.
Comment.ad Matth.XXVI,34. (iii)

§. XX

Habes ita, Benevole Lector, qvæ
rum copia nobis facta est, Autoribus ha
si hunc laborem ita comparatum depr
variis modis perpoliendus veniat, nost
qve, qvi nobis fortè insciis aut invitis
emendabis, certò Tibi persvadens, qv
succrescente annorum serie maturiore
ctus accipias. Obsignamus interea ha
Gerhardi Disticho:

JESU, dulcedo, vappâ pot
Tristia fella bibis, sic mihi

SOLI DEO

Disseris en! doctè, PIPPIN
Qvàm benè! Nam Doct

Affini Dilec

degustaturus amaram
ci contemnere carne pararet. (ggg)
uisse eum bibere, at Marcus, ne accepisse,
nuò sibi Evangelistæ qvodammodò viden-
ur! *Qvod enim Matthæo est: leviter gusta-*
ἔλαϐε, *h. e. non imbibit, non absumsit, sicu-*
nem jentaculo tinctum devorare. Noluit au-
menti externandæ adbibebatur, in cruce au-
ϐε τὸ ὄξος. Confer, ex qvo hæc desumsi-
h) *Atq; hôc pacto videmus*, (ut hæc Casau-
) *in hâc Historia*, qvæ pensitata à nobis ha-
passim toto Evangelio potest observari, ut sese
s adjuvent, invicem suas narrationes sup-

h. XXVI, 29. (ggg) V. Barradium l. c. (hhh) in
I, 34. (iii) Exercit. XVI. n. 80. p. 447.

§. XXII.

ector, qvæ de propositâ materiâ ex iis, qvo-
toribus haberi potuerunt. Cæterùm, qvod-
atum deprehenderis, ut solicitâ adhuc limâ
eniat, nostræ id ætati unicè tribues, errores-
aut invitis irrepserunt, pro Tuâ humanitate
adens, qvòd sedulò simus allaboraturi, ut
naturiores etiam Studiorum nostrorum fru-
interea hanc meditationem pientissimo *B.*

vappâ potaris amarâ,
is, sic mihi mella paras.

DEO GLORIA.

IPPINGI, unô ore pieqve:
m Doctis id placet atqve Piis.
Affini Dilectissimo, Auditori Diligentissimo,
f. gratulabundus
D. VAL. ALBERTI.